

068

066

072

062

077

057

117

017

167

Ende

Anfang

53

inferius polistrelum, id est funem, quo inferiores extremitates
veli tenentur, in manibus tenerent: ecce ventus repente irruens
importune velum implevit, et polistrelum de manibus Galitorum
avulsit, velumque rapuit et ipsum supra mali summitatem et
supra kebam in altum evexit: et ita importune in aëre volitabat,
quod antenna ut arcus inclinabatur: et ipse malus grossus et
magnus de multis lignis et arboribus simul junctis factus fragores
magno dabant, ac si jam ruptus fuissest et fractus in medio.
In quo maximum expectabimus periculum, quia si in tanta
tempestate fractus fuissest, mox involuti aquis submersi cum
Galèa fuissemus. Sicut enim avis non potest volare sine
pennis et alis, sic gravissima navis non potest procedere sine
velis, quae sunt pennae ejus et alae. Ideo quando Poetae
loquuntur de equis alatis, non aliud volunt, nisi naves velatas
intelligi. Sicut Perseus vénit de Graecia in equo alato, et
liberavit Andromedam de scopulo Joppe etc. Dabat ergo
malus horribiles multos fragores et antennae similiter; et tota
Galèa in omnibus juncturis videbatur dissolvi. In nulla re
magis territus fui in tempestatibus, quam in magnis fragoribus
navis, qui ita importuni sunt, quod homo aestimat jam navem
esse in aliqua parte ruptam. Nec potest se homo continere
a clamore emittendo, propter subitum et horridum sonum
fragorum. Stetimus ergo in tristi spectaculo, et in lamentabili
periculo. Porro velo sic in aëre volante, discurrebant Galioti
et caeteri marinarii cum tanto clamore et ululatu, ac si jam
gladiis essent confodiendi, et per rudentes super antennam
scandebant, velum conabantur de sublimi ad se attrahere.
Caeteri inferius currebant undique polistrelum capere, et
reaccipere quaerebant: alii trochleis aptantes funes et spiras
circumducebant. Peregrini vero et alii ad hos discursus et
labores inutiles Deum orabant, et sanctos invocabant. Aliqui
suas confessiones faciebant, tanquam jam in procinctu constituti
articulum ultimum mortis expectantes. Aliqui vota magna
emittebant ad Romam, ad S. Jacobum, et ad Beatam virginem
hinc inde se ituros promittebant, ut hanc mortem evadere
possent. Non enim nisi mors praesens timebatur. Cogitavi ad
parabolas Anacharsis Philosophi, qui navigantes nec vivis
nec mortuis connumerandos esse dixit. Insuper eos non nisi

